nifestatur ueritatis assercio. quam pariuerit quibus dissensio. Sancta ecclesia ideo dicitur catholi-
ca: pro eo quod uniuersaliter per omnem sit mundum diffusa expanditur. paulo attestan-
te apostolo. Gratias inquid ago deo pro omnibus uobis: quia fides uestra adnunciatur in uniuerso
mundo. Hereses autem in aliquem angulum mundi. aut in unam gentem inueniuntur
uersari. Ecclesia uero catholica. sicut per totum mundum extenditur. ita et omnium
gencium societate construitur. Qui sunt hereses uel heretici. nisi qui relicta dei ec-
clesia priuatas elegerunt societates. De quibus dominus dicit. duo mala fecit populus meus
me dereliquerunt fontem aque uiue. et foderunt sibi cisternas. cisternas dissipatas que
continere non ualent aquas. Causa hereseos ob quam rem sit. id est ad exercitationem fidei. Visum uero pro
quod sit: obscuritas est diuinarum scripturarum. in qua caligantes heretici. aliud
quam se res habet intelligunt. nec esse possunt quia ipsum quod existunt hereses iam non
sunt. Male enim senciendo scienciam non adquirunt. ad nichilum enim tendunt. Heretici inge-
nti studio mendacia sua discurit. et labore uehementi ne ad unitatem ecclesie ue-
niant decertant. De quibus per prophetam congrue dicitur. docuerunt linguam suam loqui
mendacium. et ut inique agerent. laborauerunt. Dum uicissim heretici mutuo
se lacerent. quam alterutrum sese in prauas sectas inducunt. sic tamen inuicem sese con-
lidunt. ut contra ecclesiam pari erroris spiritu decertent. Et qui inuicem sunt diuisi. in
aduersitate ecclesie simul existunt uniti. eisque pro eo quod tamen ualeant hereses
uidentur habere uirtutem. hoc respondendum est. non ideo saluti preponendi sunt
morbi. quia plerumque ita generaliter mundum occupant. ut paruum saluti locum re-
linquant. De hereticis.

Non posse hereticos habere ueniam. nisi per ecclesiam catholicam. Sic[illegible]
iob non pro se placere dominum sibi poterit. nisi pro eis iob sacrificium obtulisset. Opera bo-
na que heretici faciunt. et iusticia eorum nichil eis prodest. Testante domino per Ihere-
miam prophetam. quia oblitus es mei. ecce ego adnunciabo iusticiam tuam. et opera
tua non proderunt tibi. heretici quamuis legem aut prophetas adimpleant. ex eo tamen quod ca-
tholici non sunt. non est deus in eorum conuentibus. Ipso domino testante. si steterit moyses et sa-
muel coram me. non est anima mea ad populum istum eiece eos a facie mea. ut egredi-
antur. per moysen quippe et samuel. legem accipe et prophetas. Quos quamuis heretici opere im-
plere contendant. pro erroris tamen impietate auxilium dei perciunt. et a sanctorum cetibus
separantur. pagani et heretici. Ille quia numquam fuit cum dei populo: iste quia reces-